



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quo modo coniungantur ea, quæ rem attingunt, cum ipsa re. Cap. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

caro, affligit immanissimus Turca; eius tyrannidi noua quotidie regna subiiciuntur; discordia utinam nostra & peccata, iram Dei in nos magis non prouocent: quid igitur faciemus? lugeamus, doleamus, peccata nostra confiteamur, ad misericordiam Dei confugiamus.

Quo modo coniungantur ea, quæ rem attingunt, cum ipsa re.

Cap. XXVII.

BEATVS Basilus de intemperantibus fœminis loquens, ait: Intemperantes fœminæ, diuiniq; timoris oblita ignem æternum contemnentes, eo die, quo eas oportebat ob recordationem resurrectionis Domini, quietas sedere, & illum diem in mentem ac memoriam reuocare, quo calis patefient, quo de calis se nobis iudex in conspectum dabit, tubarum Dei clāgor, suscitatio à mortuis, iustum iudicem futurum, & æqua pro cuiusque factis præmia, pro eo, ut hæc animis et ratione expendant, corda sua prauis cogitationibus purgent, præterita peccata & scelera lachrymis deleant, seq; in occursum Christi, ad magnum diem eius Aduentus comparent; excusso Christi seruitij iugo è capite, abiectis honestatis & modestiæ integumentis, contempto Deo, spretis angelis, mariū adspectu per singularem impudentiam, recepto, comis reiectis & expansis, tunicas trahentes, & vnà pedibus ludentes, intemperantibus & proteruis oculis, effuso cachinno, ad saltationis insaniam stimulatæ, iuuenum libidinem omnium & lasciuiam ad se allicientes, institutis choreis, in ijs, quæ ante urbem sunt, martyrum monumentis,
reli-

religiosissima loca, fecerunt turpitudinis & flagitiorum suorum officinam. Qui locus poterit accommodari in solemnitate Natalis Domini nostri Iesu Christi, quo tempore, deprauata quadam irrepsit consuetudo; ut iocis, choreis, sumptuosis conuiujs, consanguinei & affines se mutuo inuitantes, illos dies consumant. In his ciuitatibus aut oppidis, ubi luxui homines sunt dediti, dicere poterit Ecclesiasticus orator: Quid agunt quidam ex vobis, ingurgitant, non concoquunt, eis pituita molesta est, oriuntur febres, immaturo tempore senescunt, decedit memoria, libidine cruciantur, minuunt patrimonium, miseri in hac vita ad mortem perpetuam festinant. Valet hac forma dicendi in primis ad docendum aliquid, ut suadeat, aut dissuadeat orator.

Antithetorum & Periphrasis exempla.

Cap. XXVIII.

SANCTVS Episcopus & martyr Cyprianus, in libro de patientia, de Christo loquens, pulchris antithetis vsus est, his verbis: Ut insultantium sputa patienter exciperet, qui sputo suo caeci oculos paulò antè formasset; et cuius in nomine nunc à seruis suis Zabulus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat aeternis; palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras Vincentibus tribuit; spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis ceteros vestit; cibaretur felle, qui cibum caelestem dedit; acetopotaretur, qui poculū salutare propinauit. B. Ambrosius de virginibus scribens, eleganter hanc figuram adhibuit: Nō est, inquit, Christus circumferaneus; Christus enim